









733  
~~15.~~ 0

*IN NOMINE JESU, PASCHALIS VICTORIS!*

**MELCHISEDECUM PASCHALEM,**

IN FESTO VICTORIÆ, JUSTITIÆ,  
PACIS ET GLORIÆ PASCHALIS,

**R E C T O R**

ACADEMIÆ VVITTENBERGENSIS,

**JOH. FRIDERICUS MAYER,**

**DOCTOR ET PROF: THEOLOGUS,**

**ELECTOR. ALUMN. EPHORUS,**

ET TEMPLI OMNIUM SANCTORUM PRÆPOS.

SUBSTITUTUS,

**CIVIBUS ACADEMICIS**

*INTIMAT,*

ET UNIVERSIS AC SINGULIS

BENEFICIA VICTORIÆ, JUSTITIÆ,

PACIS ET GLORIÆ PASCHALIS,

*DEVOTIS SUSPIRIIS*

*COELITUS*

*EXOPTAT!*

122

133.





IN NOMINE JESU VICTORIS, PASCHALIS MEL-  
CHISEDECI, REGIS SALEM!

**I**llustris *Messia* typus *Melchisedech* est. Typus est in aliis, typus etiam est in *Paschalibus* *Mysteriis*. Typus autem hic non ex *humanis speculationibus* inventus, sed *divinis revelationibus* intentus. Testis ejus rei maximus *Regum, David, Psal. CX 4. testis* itidem *Apostolorum Maximus, Paulus, Heb. V. 6. 10. VI. 20. VII 11. 21.* Nos alios *Melchisedeci* Typos modo dimittimus, saltem in *paschales* quasdam *fuguras*, hac meditatione solenni, paucis inquirimus. Cernimus in *Melchisedech* typum *Paschalis* *Victoriae*, typum *Paschalis* *justitiae*, typum *Paschalis* *Pacis & Gloriam!* illud dicitur *Paschali*um *Mysteriorum* causa, *istud* *Mysteriorum* *Paschali*um forma, *hoc* *Paschali*um *Mysteriorum* meta; *illud* fundamentum, *istud* argumentum, *hoc* complementum nobis exhibet; illud est principii, *istud* artificii, *hoc* beneficii; *illud* hominibus, parit fidei confidentiam, *istud* charitatis vehementiam, *hoc* spei certissimam anchoram: *illud* excitat mentis contemplationem, *istud* voluntatis apprehensionem, *hoc* libertatis recuperationem. Cernimus igitur in *Melchisedech* Typum *Paschalis* *Victoriae*. Ante *Melchisedeci* vel *historiam*, vel *memoriam*, in terra *Sodomorum & Gomorreorum*, atq; *vicinis Regnis*, quae summæ voluptatis & jucunditatis erant, velut *Paradisus Domini*, *Gen. XIII. 10.* vera contigerat *apostasia*, quia *Reges* horum locorum, cum omnibus *incolis*, per *malitiosam inobedientiam*, per *intempestivam superbiam*, per *illicitam apostasian*, à Domino suo *defecerant*, & *adversus Eum rebel- laverant*, *c. XIV. 4.* hinc etiam *dura* cepit *militia*, siquidem *Amraphel*, Rex *Senaar*, & *Arioch*, Rex *Elassar*, *Chodorlaomor*, Rex *Elami-*



Elamitarum, & *Thadal*, Rex Gentium, inierunt bellum contra  
*Bara*, Regem *Sodomorum*, & contra *Bersa* Regem *Gomorrhæ*, &  
 contra *Senaab*, Regem *Adamæ*, & contra *Semeber*, Regem *Se-*  
*boim*, contraq; Regem *Bala*, ipsa est *Segor*, & *Quatuor Reges* ad-  
 versus *Quinq;* perniciosam & exitiosam *Militiam* gesserunt: v.1.  
 2.3. adeoq; mera secuta fuit *miseria*, vel totalis *panoethria*, quia  
*Quatuor hi Reges adversus Quinq;* Reges prævaluerunt, omnes ho-  
 mines in captivitatem abduxerunt, omnem substantiam *Sodomo-*  
*rum* & *Gomorrhæorum* abstulerunt, & universa, quæ ad cibum per-  
 tinebant, diripuerunt, & abierunt: nec non & *Loth*, & substan-  
 tiam ejus, *Filium fratris Abram*, qui habitabat in *Sodomis*, v.10.11.  
 12. *Paradisus* hic Domini sic factus erat locus desertus, incolis pri-  
 vatus, bonis omnibus spoliatus, omni voluptate, vel utilitate destitu-  
 tus. *Speculum* in his illustre *Protoplastorū*, & totius *humani Generis*  
 deprehendimus. *Mundus* illis erat *hortus Domini*, *paradisus* impri-  
 mis illis manebat *hortus voluptatis*, *hortus utilitatis*, *hortus feli-*  
*citatis*! Sed ex vana *Superbia* divinitatem expetebant, *inobedientia*  
 gravissima, tum in *Creatorem*, & *Dominum* suum, tum in æquis-  
 simum ejus *Dominium*, tum in justissimum ipsius *mandatum*, de-  
 linquebant, & *apostasia* turpissima prorsus ab eodem deficiebant.  
 O *malitiam stupendam*, omni pæna dignissimam! Quid inde? me-  
 ra tunc incipiebat *militia*, *Quatuor Reges*, *Diabolus*, *Peccatū*, *Mors*,  
*Infernus*, contra *Quinq;* *Generis humani Reges*, hoc est contra  
*Quinq;* *Sensus*, & omnes nostras *Facultates*, bellum dirum & du-  
 rum gerebant, omnia rapinis, cadibus, & tragicis casibus reple-  
 bant, & in omnibus contra nos *Homines* prævalebant. *Manci-*  
*piæ* sic facti sumus *Satane*, *Servi Peccati*, *Captivi Mortis*, *Candi-*  
*dati Inferni*. O *dirissimam Militiam*! O *durissimam miseriam*! Nul-  
 la prorsus hic *salus*, nec ulla *salutis Spes* miseris apparebat! *Tran-*  
*sit mæsis*, *finita est ætas*, & nos *salvati non sumus* *Jerem. II. 20.*  
*Nulla resina comparuit in Galaad*, nec ullus *medicus* ibi locum inve-  
 nit: nec *obducta* fuit *cicatrix filie populi mei*! v.22. *Nulla Salus* in  
*Sodomis*, *nulla salutis spes* in terris apparuit. *Abram*, *Pater ex-*  
*celsus*, *spiritu fortitudinis ornatus*, *spiritu roboris armatus*, *spiritu*



virtutis Domini repletus, factus est *Salvator, Liberator, &*  
*Goel* miseri *Lothi*, jure *consanguinitatis Vindex*. Hic *armavit*  
*vernaculos suos, trecentos decem & octo*, confidentem expedi-  
 onem in *Quatuor Reges* movit, eosq; persecutus est usq; in *Dan.*  
*Gen. XIV. 14.* Hic admiranda *fortitudine* nocte super eos irruit,  
*robore virtutis* hosce *Reges Victores* percussit! Hic, tanquam *Victor*  
*Victorum, & Lothum*, fratrem suum, *omnes captivos, & omnem*  
*pradam Victorum* gloriose reduxit! O *miraculosam Victoriā!*  
*Nonne*, scribit *B. Lutherus* super h. l. *miraculum est, hunc unum,*  
*tam paucis instructum sociis, tot, & tam potentes Reges, eosq; ma-*  
*ximis victoriis formidabiles, fuisse, ac in fugam vertisse?* Exul ad-  
 versus *indigenas, unns adversus Quatuor, Privatus contra Reges,*  
*inexercitatus adversus exercitatisimos, Dux Novellus adversus*  
*Veteranos Imperatores, obscurus erga Militantes famosos, igna-*  
*rus Martis adversus Victores, ruricola, vel Pastores, adversus victo-*  
*riosas legiones Victoriā* reportant! O *miraculosum Trium-*  
*phum!* Sed vicit *Abram, Goel*, in vero *Goële Messia* v. 20. Sicut  
*Melchisedecus* in *Epinicio* suo præclaro canit: *Benedictus DEus*  
*Excelsus, qui tradidit hostes tuos in manus tuas.* Hic, nisi tanquam  
*Fortis Bellator*, adfuisset, nisi, tanquam *Exercitus Domini Princeps,*  
*Abramo, & Sociis militantibus, instar Ducis, præfuisset, nisi, tanquā*  
*Dextra Jehovæ*, sua virtute præliantibus profuisset, nunquam *pu-*  
*sillus grex Tironum, cum Abrahamo militantium, tam illustrem vi-*  
*ctoriā* reportasset. Hic verus est *וְיָמְלִיךָ מִלְחָמָה*, *Vir Bellator,*  
*Exod. XV. 3.* *der Herr ist der rechte Kriegs-Mann / Herr ist*  
*sein Name:* Hic *Princeps Exercitus Domini* *Jos. V. 14.* Hic *for-*  
*tis est Heros, Rex gloria, Dominus fortis, potens in pralio, Psal.*  
*XXIV. 8.* *Quis est iste Rex gloria? Dominus Zebaoth, ipse est Rex*  
*gloria, Sela. v. 10.* Hic & *Victor Abram, & Victor Melchisedech*, ille  
*gladio, hic precum thuribulo, ille per exercitum, hic per sacerdotiū,*  
*ille corporalibus, hic spiritualibus armis pugnabat, & victoriā*  
*ab hostibus uterq; reportabat. Quatuor Reges, antea Victores,*  
*in Palestina longe, lateq; cuncta vastabant, omnes terræ Reges,*  
armis



armis solum pugnantes, superabant, *Civitates & Regiones* ipsorum  
 occupabant, *homines* in captivitatem miseram deportabant, *pra-*  
*dam* in immensum multiplicabant, & pro libidine sua cuncta *ho-*  
*stilia* patrabant: Solus *Melchisedech Rex pacis* erat, *precibus* Sa-  
 cerdotalibus hostes à finibus suis repellebat, *consilia pacis* fovebat,  
 tempora *pacis* suis subditis concedebat, & sine sanguine *Victo-*  
*riam* obtinebat; ut & *Abram* in praelio, *Melchisedech* sine praelio,  
*Victores* extiterint. Uterq; *Messia* typus est, qui *Victor* est sangui-  
 nolentus in praelio, tanquam *satisfaciens Bellator*, *Victor* est incru-  
 entus sine praelio, tanquam *Sacerdotalis Interpellator*. Illis tempori-  
 bus *alius* erat *Belli, Victoriæq; Nuncius & Consiliarius*. Nam ecce *n-*  
*nus*, qui evaserat, *nunciat Abram Hebræo*, qui habitabat in con-  
 valle *Mamre, Amorrhæi, fratris Eschol, & fratris Aner: Gen. XIV.*  
*13.* *alius* erat *Bellator, & Victoriæ*, per ingens praelium, conciliator,  
*Abram: v. 15.* *alius* erat *Victoriæ Possessor*, atq; *predicator Melchi-*  
*sedech*, qui mox illustre *Victoriæ preconium* instituebat, & glori-  
 osum *Epinicion* accinebat *v. 20.* Noster autem *Paschalis Victor*  
 est τὸ Πᾶν in omnibus. Ipse *Patris eternus Consiliarius*, qui *bel-*  
*li, pacisq; consilium* ex arcanis sapientiæ reconditæ protulit, *Esa.*  
*IX. 6.* *hic & bellum & inimicitias* posuit inter *serpentem antiquum*,  
 & omne *semen ejus*, & inter *genus humanum Gen. III. 15.* & ipse  
*nuncium* hoc attulit, atq; *nobis è sinu Patris mysteria tanta revela-*  
*vit Job. I. 18.* Ipse quoq; non *alius*, *bellum* hoc maximū gesit, & solus  
*caput serpentis contrivit Gen. III. 15.* *opera cuncta Diaboli* destruxit,  
*I. Job. III. 8.* *Satanam, fortem armatum*, ut ἵχθυότροπος, *superavit*,  
*universa arma ejus*, in quibus confidebat, *abstulit, & prædam ejus di-*  
*stribuit Luc. XI. 21. 22.* *Quis est iste, qui venit de Edom*, inquit ani-  
 ma fidelis cum *Esaia LXIII. 1.* *rinclis vestibus de Bosra*, iste formo-  
 sus in stola sua, *gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Ego, re-  
 spondet *Messias*, qui loquor *justitiam*, & *propugnator sum ad sal-*  
*vandum.* *Quare*, pergit anima paschalis, *rubrum est indumen-*  
*tum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* *Tor-*  
*cular calcavi solus*, addit *Victor*, & *de populis non est Vir mecum:*  
*calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & adspersus*  
 est



*est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea  
 inquinavi: Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis  
 mee venit: circumspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & non  
 fuit, qui adjuvaret: & salvavit mihi brachium meum, & indigna-  
 tio mea ipsa auxiliata est mihi: & conculcavi populos in furore  
 meo, & inebriavi eos in indignatione mea, & detraxi in terram vir-  
 tutem eorum. Hic verus Abram, & Pater excelsus, & Pater eter-  
 nitatis Esa. IX. 6. Hic præliator maximus, qui vicit Quatuor Re-  
 ges Victores, Diabolum, Peccatum, Mortem, & Infernum! Hic  
 Victor Optimus, qui Magnum Draconem, Paradisiacum Serpen-  
 tem, & omnem exercitum ejus superavit, omnes captivos redemit,  
 & omnia spolia recuperavit! Hic etiam in pace, velut aliter Mel-  
 chisedech, Victor pacificus, & Præco Victoriæ maximæ laudatis-  
 simus, Nuncius pacis exoptatissimus, qui nobis Festum Victoriæ, fe-  
 stum pacis paschalis, & paravit, & annunciavit. Olim Melchisedech  
 Festum Victoriæ celebrabat, festum pacis maximis tripudiis, & glori-  
 osis præconiis, suis subditis, & Illustrissimis Hospitibus, Victoribus  
 & Victis, adornabat, & lautissimum convivium omnibus parabat.  
 Cælestis noster Melchisedech omnibus hominibus Festum Paschalis  
 Victoriæ, Festum paschalis pacis hodie publicat, & victis jam hostibus,  
 mera gaudia pacis, mera præmia Victoriæ cõmunicat. Hodie Victor  
 redivivus suis Discipulis apparet, & suum PAX VOBIS non ipsis  
 modo Discipulis, sed omnibus insuper hominibus promulgat! Vox  
 exultationis & salutis in tabernaculis justorum: Dexteræ Domini  
 fecit virtutem, Dexteræ Domini exaltata est, Dexteræ Domini fecit  
 virtutem. Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Ho-  
 die suum nobis accinit Epinicion Paschalis Melchisedech ex Hof.  
 XIII. 14. De manu inferni liberabo eos, de morte redimam eos. Ero  
 pestilentia tua, ô mors, ero lues tua, ô inferne! Hodie paschalis  
 succentor, Apostolus Paulus, idem Epinicion nobis inculcat: Ab-  
 sorpta est Mors in Victoriâ? ubi est mors Victoriæ tua? ubi est  
 mors stimulus tuus? ubi tua, Inferne, Victoriâ? Stimulus autem  
 mortis peccatum: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui  
 dedit nobis Victoriâ per Dominum nostrum Jesum Christum! I.  
 Cor.*

Cor.



*Cor. XV. 54. seqq. Hodie Melchisedech, (Deo sit laus!) & Victor Paschalis* Nos omnes & *Concentores, & Victoria præcones* facit, ut idem *Epinicion omnes & singuli, minimi & maximi, pauperes & divites, Reges & Principes, Nobiles & ignobiles,* devota mente reperere, sanctisq; præconiis instituere queant. *Quatuor isti Tyranni, Diabolus & Peccatū, Mors & Infernus,* sunt fugati, non modo fugati, sed etiam captivati, non captivati solum, sed & trucidati. *Noster Paschalis Abram* hos *Quatuor Tyrannos* victoria plena destruxit, quia *per mortem suam destruxit eum, qui mortis habebat imperiū, id est, Diabolum* Heb. II. 14. *Ego sum, Ego sum ipse,* dicit noster Paschalis Victor *Esa. XLIII. 25. qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor:* ipse Paschalis *Agnus, qui tollit peccata mundi* Job. I. 29. *Per mortem, ejus Mors non est mors, per mortem ejus Mors est Vita, Ipse per mortem est nostra vita,* quia nobis est *Via, Veritas & Vita* Job. XIV. 6. *vita & resurrectio* Job. XI. 25. Ipse quoq; *descendit ad inferos, & tanquam Victor & Præco ζωωνθεῖς* I. Pet. III. 18. gloriam suam incolis inferni manifestavit, & *infernum* totum devastavit. Hoc igitur Festum *Paschale* Festum *Victoriae* Maximum, Festum *Pacis* summum, Festum *felicis* optimum! *Benedictus DEUS Excelsus, qui tradidit hostes nostros in Manus nostras, cum Melchisedeco* semper cumprimis in hoc *Festo Victoriae Paschalis* jubulare & triumphare debemus. Præterea *Festum Paschalis Justitiae* nobis *Melchisedecus* caelestis affert. *Melchisedeci* nomen *Justitiae Regem* sonat, ipso *Spiritu Sancto* per Apostolum interprete *Heb. VII. 2. & in eo nostrum Salvatorem* repræsentat, qui verus est *Rex justitiae* Zach. IX. 9. *Dominus justitiae* *Esa. XLV. 19. Deus justitiae* *Psal. IV. 2. Ipse justitia nostra* *Jer. XXIII. 6. Qui sicut propter peccata nostra mortuus, sic etiam propter justitiam nostram resurrexit* *Rom. IV. ult. & justitiae festum* nobis constituit. *Melchisedecus* non modo *Rex,* sed etiam *Sacerdos justitiae* fuit, qui tanquam *Sacerdos* hominum *injustitiam* expiavit, ipsisq; *justitiam* coram DEO conciliavit: Talis etiam *Sacerdos,* secundum ordinem *Melchisedech,* *Christus Jesus,* qui nobis à DEO factus *justitia* I. Cor. I. 30. Deniq;

niq;



niq; *Festum Paschalis Pacis, & Gloria*, nobis *Melchisedech* exhibet. Erat enim *Rex Salem*, quod est *Rex pacis Heb. VII.24*. *Salem* erat *Civitas pacis, Hierusalem visio pacis, Regnum pacis*. Cælestis *Melchisedech*. est verus *Rex pacis, Princeps pacis Esa. IX.6.* imo *pax ipsa, pax nostra Eph. II.14.* qui *pacem omnē nobis ex bello maximo contra Quatuor istos Tyrannos, Diabolum, Peccatum, Mortem, & Infernum* paravit, & per *Evangelium pacis paschalis* annuntiavit *Job. XX.19.* Ipse *caput nostrum, Nos ejus membra*. Ipse *Melchisedech, Victoriæ Paschalis Autor, Paschalis justitiæ reparator, paschalis pacis & gloriæ donator*, ut & Nos hic *spirituales, olim caelestes* simus *Melchisedeci!* Simus *Reges Victoriæ*, vincamus *Diabolum, Peccatum, Mortem & Infernum*: Sic erimus & *Reges justitiæ*, dum *Christi justitiæ, Christianorum justitiæ*; *Reges deniq; pacis & gloriæ*, dum *Christi pax nostra pax, & sic in æterno Victoriæ, justitiæ, pacisq; cælestis regno cum Typo & Antitypo Melchisedech* semper triumphabimus! O Nos felices, si *Melchisedecum Primum, & Melchisedecum Novissimum*, devotione pia, devotaq; pietate, tanquam *DEI milites*, imitabimur! Uterq; *Sacerdos*, uterq; *precibus* etiam *hostibus restitit, & Victoriæ* ab illis reportavit, atq; *Festum Victoriæ, Festum Justitiæ, Festum Pacis & Gloriæ*, suis subditis ordinavit. Simus & nos *Sacerdotes Altissimi!* Pugnemus *Spiritualibus armis, Diabolum, Peccatum, Mortem & Infernum*, *precibus armatis* in fugam vertamus, & *pedibus nostris subjiciamus!* Sic rite *Festum Victoriæ Paschalis, Festum Justitiæ Paschalis, Festum Pacis & Gloriæ Paschalis*, in æternum celebrabimus! Hoc ut fieri queat, modo *fide vincamus, & Christi Sepulchrum colamus*, atq; *Sepulchri Custodies, Resurgentis, Victoris Ministros*, & *mente, & manu, largius oblati muneribus*, honoremus! P.P. *In Vigilia Paschali, Anno DC LXXXV.*







